



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Dominica 4. Quadragesimæ. De quinque panibus multiplicatis, &c. Multis  
Evangelii partibus multæ subiiciuntur veritates, quas inter, quòd Christus  
se volentes Regem facere fugerit; hæc singulariter ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44214**

# DOMINICA IV.

## QVADRAGESIMÆ.

*De quinque panibus multiplicatis, &c. Ioan. 6.*

### VERITATES PRACTICÆ.

*Sequebatur eum multitudo magna.*

Et quidem tanto affectu, ut omnes omnia sua delerent, nec repetere cogitarent, nec manducare, nec vivere, dum soli Iesu, quem sequebantur, adhererent. Sic planè:

Qui non renuntiat omnibus, non potest esse Christi discipulus.

*In 1. parte, Feria 3. hebdom. 6. post Epiphaniam.*

QUO & referri duæ istæ possunt.

Esic discipulum Christi, & jam non esse suum, unum & idem est

Nunquam magis eris tuus, quam cum totus eris Christi.

*In 4. parte, Feria 3. & 4. hebdomada 2 4.*

ACCEPIT ergo Iesus panes, &c.

Si vis, quod non habes, da quod habes.

*In 1. parte, Dominica 2. post Epiphaniam.*

PRO accessu ad Sacram mensam in hac panum multiplicatione figuratam:

Quod præsertim spectat Christus, non est quid ad se afferas, sed quid à te auferas.

*In 3. parte, Feria 3. hebdomada 13. Plura vide in duabus primis hebdomadibus eiusdem partis.*

DISTRIBUIT discumbentibus quantum volebant.

Non quod times, timendum est, ne tibi desit Deus: sed ne tu desis Deo.

*In 3. parte, Dominica 6.*

NUMquam homini magis aut melius prospicitur, quam cum homo magis Deo quam sibi prospicit.

*In 1. parte, die 6. Decembris, licet aliis terminis exprimatur Veritas, idem est sensus, eademque ratio.*

IESUS ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent Regem, fugit iterum in montem ipse solus.

Qui sectatur honores mundi, quos fugit Christus, à Christo fugit ad mundum.

HÆC Veritas nullibi proposita sic videtur declaranda, & paulo attentius expendenda.

RATIO est, quia fugere à Christo ad mundum, nihil aliud est quam se magis conformare mundo quam Christo.

Sed qui sectatur, honores mundi, quos fugit Christus, magis se mundo conformat quam Christo.

Ergo à Christo fugit ad mundum: Quod quam sit turpe & damnosum, quis non videt?

### I. P U N C T U M.



SERENITAS quidem exhibenda est Christo Domino, & Rex ille tuus agnoscendus, sed nunquam melius agnosces, quam si cum eo mundi gloriam & honores fugias. Regnum enim eius

non est de hoc mundo. Quod si è contra, mundi honores conlectaris, quos fugit Christus, transfuga Christi factus, à Christo fugis ad mundum. O probrum, sed tamen necessario ferendum, si quod fugit Christus, insequeris.

Quid enim est fugere à Christo ad mundum, nisi desertis iis, quæ sunt Christi, sectari ea quæ sunt mundi? Et licet in hac desertione fiat varius gradus, atque alii aliis sine graviore,



Luc. 11.

Domin. 3.

Quadrages.

Joan. 8.

viros, satis tamen est & plusquam satis, ut dicaris ab eo deficere, si tu ejus discipulus, tu eius assecla, tu qui profiteris eum sequi & imitari, magis te affectu & effectu conformes mundo quam Christo. Cum enim mundus sit ei oppositus, quisquis se mundo conformat, à Christo, necesse est ut se disiungat. Nā si ipse dixit, qui non est mecum contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit, certe qui est cum mundo, non est cum illo; Quid restat igitur quam ut sit contra ipsum, ut supra visum est. Si autem contra ipsum, nonne & Christi defector, nonne & transfuga dicendus erit? Vos de deorsum estis, ego te superius sum; Vos de mundo hoc estis, ego non um de hoc mundo. Velle sine hoc ipsum tibi diceret quod Judæis Christus?

II. PUNCTUM.

**S**ED qui sectatur honores mundi, quos fugit Christus, magis se conformat mundo, quam Christo.

Luc. 21.

Matt. 26.

Ne putes hic agi de honore regio, quem fugit Christus, sed de omni vano & mundano, qualis ab hominibus ordinariè exhibetur, & qualis à te inordinatè appetitur. In hoc autem præcipuè Christus Dominus se à mundo differre ostendit, ut contra ac mundi leges ferunt, ipse ac sui potius contenderent de inferiori loco quam de primo. Nonne jam id toties considerasti? nonne meministi, cum facta esset contentio inter discipulos, Quis eorum videretur esse major, tum dixit eis Iesus; Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur; VOS AUTEM NON SIC, sed qui major est in vobis, fiat sicut junior, & qui præcessor est sicut ministrator. Nam quis major est qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Quod & ipsum ante dixerat, ex alia occasione, pene iisdem verbis: scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester ministrator: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare.

Quid clarius & apertius? Unde Apostolus tam læpe & potenter: si adhuc hominibus placere, Christi servus non essem. MIHI absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. NUNC incipio Christi esse discipulus, aiebat sanctus Martyr Ignatius, nihil de his, qua videntur desiderans, ut Iesum Christum inveniam. Tibi è contra dicendum: Nunc desino Christi esse discipulus, illa desiderans, qua videntur, ut mundum inveniam & mundam fiam.

III. PUNCTUM.

**Q**uisquis ergo sectatur honores mundi, quos fugit Christus, à Christo fugit ad mundum, Quia per illos honores aut illorum appetitum, mundo se conformat in ea parte vivendi, in qua præcipuè se suosque à mundo discrepare, & verbo & exemplo tam clarè docuit Christus, ut nihil toto in Evangelio sit clarius, & qui aliud sentiat, dicatur palpare in meridie: ut declaratur in 4. parte, Feria 3. hebdomadæ decimæ nonæ.

Im verò cogita, quale sit illud; transfugam & desertorem esse Christi! melius esset si nunquam ejus fuisses, quam sic illum deserere. Si enim, ut ait sanctus Petrus, refugientes co- inquinaciones mundi in cognitione Domini nostri & salvatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus: melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. 2. Pet. 2.

NUNQUID & vos vultis abire, dicebat Ioh. 6. Christus suis, quando eorum quidam abjertuat retrò, & jam non cum illo ambulabant? Ac verò Petrus, Domine ad quem ibimus, verba vita aterna habes, & nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei. Hoc si credis & profiteris, credes quidquid Christus dixit, nec enim Filius Dei fallum potest dicere, hoc autem dixit, Mundus me odit. Credisne hoc? Ibid. 7. Velle sine verò Christum odisse? Aut te ergo mundo renuntiare oportet, aut Christo non credere, aut Christum habere odio, Quod vel audire nefas est. Trium tibi datur optio, Elige 2. Reg. 24 unum quod volueris.



HAC HEBDOMADE, considerandum venit quidquid Christus Dominus passus est, ex quo deductus fuit à Judæis ad Pilatum, usque ad eius condemnationem.

Veritatum finis præcipuus hic erit, ut discamus à Christo ferre constanter opprobria, in omni quidem occasione, sed in sex præsertim casibus, qui ab unoquoque mysterio passionis eruuntur.

## FERIA SECUNDA. (CHRISTVS PILATO A IV- daeis presentatus, & accusatus.

Capere ipsum accusare, dicentes, hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Casari, & dicentem se Christum Regem esse. Luc. 23.

### VERITAS PRACTICA.

Qui sibi innocenti factam injuriam nimis dolet, suæ ipse innocentiae injuriam facit.

*RATIO EST, Quia sua innocentia injuriam facit, qui se eius fructu & meritis privat. Sed qui sibi innocenti factam injuriam nimis dolet, se sua innocentia fructu & meritis privat. Ergo & sua ipse innocentia injuriam facit. Quod certe iniuriosum est & cavendum.*

### I. PUNCTUM.

*Matt. 27.* **M**ANE factò, ait sanctus Evangelista, consilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi adversus Iesum, ut eum morti traderent. Quale consilium! Et vinculum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Praesidi. Quale spectaculum propositum illi civitati, in qua non ita pridem tam gloriosè triumpharat! Quis concursus, quisensus populi, cum maxime sic à principibus sacerdotum & senioribus Christus traderetur & accularetur! Vide ut alii obstupescunt, audi ut alij fremunt, & ut omnes unanimi consensu in eum insurgunt! Sic pia quaedam ex singulis circumstantiis reflexio fieri posset. Legi verò debent, quæ de hac apud Pilatum accusatione fusius referuntur ab Evangelistis, uade illud primum ad praxim

revocandum est, quod spectat calumnias & iniurias famæ ac nomini nostro ab inimicis illatas, exemplo Christi Domini constanter ferendas. Et quia hoc maxime unumquemque cruciat, quod ficta & falsa imponantur, hoc imprimis etiam unicuique sciendum & attentè considerandum est, Quod qui sibi innocenti calumniam impostam aut injuriam quovis modo factam nimis dolet & quaritur, sua ipse innocentia injuriam facit.

Ratio est evidentissima, quia qui se ultro privat suæ innocentiae fructu & meritis, non potest non dici, sibi suæque innocentiae magnam inferre injuriam. Quid est enim iniuria, & quod est eius damnum, nisi quaedam iniusta detractio & sublatio boni alicuius, quod vel honorem spectet vel corporis aut vitæ commoda? unde tu si tibi bonum iniuste detrahis quod ab innocentia tua consequi poteras, nonne tu tibi perinde nocēs & injuriam facis, ac si alius quivis bonum illud detraheret? Cur enim tibi putas injuriam ab eo fieri, nisi quia, ut dictum est, tibi bonum tuum, bonum nomen, bonam famam, bonam sanitatis vel rei domesticæ commoditatem contra ius falsque detrahit? At tu si eandem in te iniustitiam committis, quid est, quod non tibi & innocentiae tuæ injuriam ex æquo inferas? An forte quia tua res est, quia tua est innocentia: tu de illa detrahere, & te illius privare bonis & meritis tibi licitum credis?

Erræ



*Ecclesi. 10.* Erras, & erratis tui gravitatem, quæ infra patebit clarior, sic damnavit Sapiens: *Fili, in mansuetudine serua animam tuam, & illa illi honorem secundum meritum suum peccantem in animam suam quis iustificabit? quis honorabit ex honorantem animam suam? Itemque paulo post: Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? & non iucundabitur in bonis suis, qui sibi irvidet nihil est in illo nequius, & hac reddito malitia illius. Audisne nequitiam? Audis malitiam?*

II. PUNCTUM.

**S**ED qui sibi innocenti, calumniam aut aliam sullatam injuriam nimis dolet & queritur, se sua innocentia fructu & meritis privare.

Hic est enim innocentie læsa fructus, hoc eius meritum, ut gaudium afferat & honorem coram Deo & hominibus, ingentemque bonorum spiritualium & cœlestium in omnem æternitatem cumulum augeat; si ve ex similitudine Christi patientis, si ve ex conscientie testimonio, si ve ex patientie solatio, si ve ex ipsa Dei bonitate & providentia, qui protector est & pater innocentium: quæ certe quanta sint bona & commoda quis non videret? *Hac est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. Quia enim est gloria, si peccantes & co.aphisati sufferis? Sed si bene facientes patienter sustineris, hac est gratia apud Deum: In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis*

At verd qui nimis dolet & queritur de illatis sibi iniurijs, se privat ijs bonis; quia non eam habet similitudinem cum Christo patiente, quæ gaudium affert & gloriam; non fluid conscientie testimonium quo innocentes recreantur, non illud denique in terris gratiæ aut in cœlis gloriæ meritum, quod soli virtuti redditur. Neque enim sufficit ad meritum, si innocens patiaris, nisi patientiam iungas innocentie, nam innocentia impatiens definit esse innocentia quæ est expers totius vitij: & qui nolens in viusque paritur, tam longè est a vera virtute, quam verum est nullam esse virtutem, ubi nulla voluntas, & nulla pietas. *Non coacte sed spontaneè secundum Deum. V. E. dissolutis corde qui non credunt Deo & ideo non protegentur ab eo. CASTIGABO te in iudicio, nec quasi innocenti parcam tibi? Poteratne apertius tibi loqui?*

III. PUNCTUM.

**Q**VI sibi ergo innocenti factam injuriam nimis dolet, sua ipse innocentia injuriam facit; Bonum enim subtrahit, quod afferret innocentia, si nimis non doleret innocens; Nam ubi est nimietas, Virtus deest quæ in medio sistit; Ubi autem Virtus deest, quid gratiæ & meriti colligas? At nonne hoc innocentie probrum est & injuria, sic eam suo privare fructu & merito? *Cur non recogitas dicans, cui laboro & fraudo animam meam bonis? Cur te tui non miserer, dum gemendo factam injuriam, graviozem tibi facis? Miserere anima tua placens Deo, & contine: Congrega cor tuum in sanctitate eius, & tristitiam longè repelle à te, multos enim occidis tristitia, & non est utilitas in illa.*

Certe quando hæc sola esset ratio, quam affert Sapiens ad repellendam tristitiã, quod nulla sit eius utilitas, satis esset sedando animo: sed cum præterea tor sint incommoda & derimenta, quæ à tali tristitia longè latequè dimanant, quis nisi vecors & propè insanus se ab illa non expediat? Et quia putas tanto id tibi magis licitum flere, quanto magis innocens pateris, Vide quam graviter erres & pecces, non modò te privando tuis bonis spiritualibus, quod per se grave est, & non ferendum; sed ipsam inculando Divinam Providentiam, quod te innocentem permittat pati, quasi soli Rei & Nocentes paterentur in hoc mundo!

Duplex hic error: & quod putes te ita innocentem, ut non meritò debeas aliquid pati; & quod licet esses innocens, non credas Deum permittere aliquando, ut innocentes affligantur. Contra verd utrumque sic Dominus apud Prophetam: *Ecce quibus non erat iudicium ut biberent calicem, bibentes bibent: & tu quasi innocens relinquæris; Non eris innocens, sed bibens bibes.*

Licet itaque sis innocens, quâ parte injuriam ab hominibus accipis, aliunde tamen cum sis peccator, sic utrumque junge ad patientiam ut & cum Davide dicas, *perambulam in innocentia cordis mei, in medio domus mea: Et cum Propheta: Iram Domini portabo, quia peccavi ei.*



## PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de eiectione à Templo Venditoribus &amp; Nummulariis. Ioan. 2.

VIDE quæ ad idem prope Evangelium superius producta sunt, Feria 3. hebdomadæ 1. Quadragessimæ, unde huc etiam aptius propter flagellum, quo hic expressè dicitur Dominus eiecisse vendentes, transferri potest hæc Veritas, quæ habetur in 1. parte, Feria 2. hebdomadæ sextæ post Epiphaniam: Quamvis minus murmuramus, aut quamvis magis tacemus flagellanti à Deo, tantò altius altissimum eius Dominium prædicamus.

Huic adjungi possunt sequentes.

Nisi te subdas Deo, Deum tibi subdis.

In 1. parte, Die 12. Januarii.

Nisi probè paratus sis ad adversa, nec ad ipsa prospera benè paratus es.

In 1. parte, Feria 6. hebdomada 5. post Epiphaniam.

Cui nimis adhuc durū videtur pati pro Christo, nimis etiam durum videtur, amare Christum.

In 1. parte, Dominica 4. Adventus, ubi &amp; alia plures eiusmodi.

Huc porò tota spectat hebdomada 2. Quadragessimæ, &amp; proximè sequens, quæ dicitur Passionis.

FERIA TERTIA  
CHRISTVS AB HERODE SPRETVS.  
Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo,  
& illudit indutum veste alba. Luc. 3.

## VERITAS PRACTICA.

Quæ pro Christo sperni pudet, Christi pudet.

RATIO EST, Quia illum Christi pudet, qui præ pudore rejicit quæ Christus docuit, quæ libens tulit, &amp; quæ ferenda voluit suo exemplo.

Sed quem pro Christo sperni pudet, præ pudore rejicit quæ Christus libens tulit, &amp; quæ ferenda voluit suo exemplo.

Ergo quem sperni pudet, Christi pudet: Quod certè est omni opprobrio probrosius.

## I. PUNCTUM.

CUM Judæi accusantes Christum, mentionem fecissent de Galilæa, quæ erat re-

gio à Judæa divisa, Pilatus audito hoc nomine interrogavit si homo Galilæus esset, &amp; ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui &amp; ipse Ierosolymis erat illis diebus.

Eò igitur adducitur Christus ligatus &amp; stipatus satellitio publico, velut reus; Cogita quali cum ignominia, quali cum pudore &amp; verecundia! Herodes autem viso Iesu garrius est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quod audierat multa de eo, &amp; sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Hæc curiositas nihil fasti portendit. Interrogabat autem eum multis sermonibus: At ipse nihil illi respondebat.

Quid non poterat hic dicere &amp; facere Christi-



Christus? quantam sui admirationem & venerationem conciliaffer, si vel unum miraculum facere voluisset? At ipse nihil illi respondebat! Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribae constanter accusantes eum. Accusationes istae quantumlibet acres & constantes sic inultae & nullae visae sunt Herodi ut noluerit Christum tanquam reum condemnare; sed cum vidisset eum nec sibi nec accusatoribus ullo modo respondentem, condemnavit ut insanum & nihili hominem. Sprevit autem eum Herodes cum exercitu suo, ait sacerdotibus, & illi se induitum veste alba, & remisit ad Pilatum.

Quanta fuerit haec illufio, quam stupendum illud, Sapientiam Dei velut stultitiam reputari, & quam excelso animotale probum pertulerit Christus, ut si quando affine opprobrium in aliquo ingenij vel animi tui defectu esset ferendum, statueret exemplum constantiae & magnitudinis in eo perferendo, tu ipse suscipere tecum perpende. Certè nisi hinc proficias, expavenda est Veritas, quae inde elicitur, Aut enim te oportet cum Christo laetum & constantem simile probum pati, si casus ferat; aut si te sperni pudet, Christi pudet. Possesne hoc ferre probum? sed vide quam necessariò tibi cadat.

Luc. 9. Cum certum sit ex Evangelio nonnullos erubescere Christum & illius pudere, nihil aliud esse hoc intelligitur, quam pra pudore quodam rejicere, seu non nisi invitos & renitentes admittere quae Christus libens tulit, & quae idcirco tulit, ut nos induceret suo exemplo ad illa ferenda. Sic intelligendus Apostolus, vel cum ait se non erubescere Evangelium, vel cum seo Timotheo praecipit, ne erubescat testimonium Domini nostri neque se vincitum eius. Idem enim est, ac si diceret, si forte contingat te irrideri, & contemni ab hominibus, quod de Christo crucifixo loquaris, vel quod Pauli vincit & captivi doctrinam & institutionem profitearis, parere libenter haec probra; ne te propterea Christi nec mei pudeat; aut certè si naturalis quidam pudor lentitur, sic cum constantem sustine, ut ne propterea desistas Christum praedicare, & me eius Apostolum tuumque Institutorem profiteri. Sic sanctus Petrus: Nemo vestrum patiat ut homicida, si autem ut Christianus non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine: Sic denique Christus Dominus cum dixit, qui me et u-

Haynesove Pars 2.

buerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet. O qui cum sensus, quae suspiria!

II. PUNCTUM.

SED quem pro Christo sperni pudet, pra pudore rejicit quae Christus libens tulit, & quae ferenda voluit suo exemplo.

De illo enim agitur quem ita pudet irrisum & contemptum, ut graviter inde doleat, & propterea vel à bono, quod inchoarat, desistat, vel se miserum puer, & queratur. Nam si solus esset pudoris lentus, nec se propterea quis ab inceptis removeret, sed constans in bono persisteret, tunc Virtus esset non vitium: At verò cum quis vincitur illo pudore, & ita cedit probis, ut cedat exercendae Charitati, Humilitati, Devotioni, aut alij, quam colebat, Virtuti, hic est proprie, quem pro Christo sperni pudet, & tunc manifeste rejicit, quae Christus tulit & quae ferenda voluit suo exemplo, nempe hoc virtutis exercitium cum probro junctum, nempe haec opprobria propter Christianam cultum Virtutis illata, nempe humana judicia & verba, quibus nihili reputatur & illudatur.

Hoc est enim, quod Christus Dominus tulit, & quod idcirco tulit, ut nos suo animaret exemplo, suoque illo confirmaret documento quo dixit, Non est discipulus super magistrum, nec servus super Dominum suum, sufficit discipulo, ut sit sicut Magister eius, & servo sicut Dominus eius. Si patrem familias Beelzebub vocarunt, quanto magis domesticos eius? Adde, quod si paterfamilias tam libenter probra tulit pro suis domesticis; quanto magis domestici pro suo patrefamilias? Tunc appareat qui sint ejus.

III. PUNCTUM.

SIC igitur quem pro Christo sperni pudet, Christi pudet; Quia videlicet eorum pudet, quae Christus fecit & docuit, quod est erubescere Christum & Evangelium, quod est ipsum contemnere Christum Dominum, quasi non rectè fecerit & docuerit, quasi non sit rectum & gloriosum quod docuit, quasi non satis multa fecerit & passus sit, ut me hoc doceret vel moveret ad praxim. Quare à Domino, cur tale probum sustinere voluit ab Herode, respondebit profectò se propterea sustinuisse

T

ut



ut te suo instrueret exemplo ad simile quidpiam tolerandum, si quod tibi contingeret, seque ita iudicasse hoc tam potens esse motivum, ut licet alioquin difficile sit homini probum ferre, tamen propter istud exemplum, quod edidit, difficultas omnis sit perumpenda. Jam verò si te interroget Christus, cur non utaris hoc exemplo, cur non ad imitationem Domini tui, libentius patiaris te sperni; quid respondebis, nisi quod non putas hoc sufficere ad te permovendum, non sentis te inde satis excitari nec persuaderi; quidquid egerit, quidquid passus sit contra appetitum naturalem, plus tamen semper valere appetitum tuum, quam quod fecit & passus est; & idcirco te non posse ipsum imitari.

Hoc certè unum est, quod respondere possis, si verè velis respondere, aut quidquid dicas, hoc unum actio & vita tua loquitur. Hoc autem ira Christo respondere & loqui, quid est aliud, quam ipsum spernere? Nam vel revera credis non esse sufficiens hoc Christi exemplum, ad te permovendum: vel non credis quod dicis, & fateris esse sufficiens. Alterutrum è duobus fatearis oportet: si primum, manifestè contemnis & condemnas eius iudicium, quo iudicavit satis se facere ad te excitandum; erravit si non erras. Quod si alterum producis, te nempe non diffiteri satis esse factum & plusquam satis à Domino; Quare ab te, cur ergo non idem præstas, cur dicis te non inde satis esse permotum, cur denique nihil apud te valet eius exemplum? Quid respondere poteris, nisi quod, si ve sic satis validum, si ve non; nihil cures & movearis, quia sensus & mundus contra repugnant, quibus magis defers quam Christo? At porro quid

est Christum contemnere, nisi hoc sit? Et vos inhonorastis me! Ioan. 8.

Et certè, si attentius considerare velis, cur Herodes cum suo exercitu, curque modo etiam mundus spernat Christum, videbis te eadem prorsus de causa contemnere ejus exemplum. Quid est, quod movit Herodem contra Christum? Quid est, quod mundanos excitat ad regupienda illa, quæ sunt Christi, nisi apparentia illa exterior, quæ est contraria humanis sensibus & communi ac usitato modo agendi inter homines? At nonne illud est, unde te pudet? si enim quod objicitur tibi probum, tantum à pueris, ab infans, aut simili hominum genere objiceretur, nec propterea defineres esse in existimatione & honore apud probatos quosque viros, nonne jam cessaret & probum & pudor? Quod ergo te illa commovent, inde est, quia honesti contra homines sentiunt, contra mundum repugnant, & sensus humanus; Ac proinde concludas necesse est, te non minus contemnere Christum hoc infami pudore, quam ipse mundus suis aliis contemnendi modis, licet apertiores forte sint & magis expressi.

*Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt ps. 17. labiis, & moverunt caput. Nemo de bona sui opinione velit quidquid detractum: de Christo malit potius ut malè cogiteretur, quam de se. O humanæ mentis perversitatem! Quam rectè monet Apostolus: Nemo se seducat, si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus sit ut sit Sapiens: sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum: scriptum est enim, comprehendam sapientes in astutia eorum; & iterum, Dominus novit cogitationes sapientium quoniam vana sūt: nemo itaque gloriatur in hominibus.* 1. Cor. 3.

## PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI

Ad Evangelium, Iam die festo mediante ascendit Iesus in templum, & docebat. Ioan. 7.

### VERITATES PRACTICÆ

*Mea doctrina non est mea.*

Nulla re homo quantum vis gloriofā, gloria-ri potest.

In 1. parte, Feria 3. hebdomada 2. in Adventu: Vñ & alia similia.

Interrogatus quid primum in præceptis Christianæ religionis observandum, quid secundum, quid tertium? Responde Humilitatem.

In 4. parte, Feria 6. hebdomada 16.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscat doctrinam.



Si non agis, quod velit Deus, hoc unum infame habes, quod respondeas: Nolo, non placet.

In 4. parte, Feria 5. hebdomada 18.

Quod intellectus confert actioni, hoc actio refert intellectui.

In 2. parte, Feria 2. Penitentes, Vbi quàm aptè ad Christi verba de faciendâ Dei voluntate, ad edgnosendum & plenius intelligendum, hac Veritas rejertur, patet explicatum.

NOLITE iudicare secundum faciem; sed iustum iudicium iudicate.

Apparet quàm sis ipse iudicandus, qui de rebus ut apparet, iudicas.

In 4. parte, Feria sexta hebdomada 18.

Mendaces filij hominum in statoreis, si res non pendunt Cœli pretio.

In 3. parte, Die 21. Iunii.

## FERIA QVARTA. CHRISTVS BARRABÆ COMPA- ratus, & postpositus.

Congregatis illis dixit Pilatus, quem vultis dimittam vobis, Barrabam, an Iesum, qui dicitur Christus?

Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barrabam. Matth. 27.

### VERITAS PRACTICA.

Quò quis inferior est in ordine hominum, eò superior est in Christi ordine.

RATIO EST, Quia quò quis inferior est in ordine hominum, eò propius accedit ad Christum, qui est postremus illius ordinis.

Sed quò quis propius accedit ad Christum, eò est superior seu maior in ordine, ubi Christus est primus, & qui Christi dicitur.

Ergò quò quis inferior est in ordine hominum, eò superior & maior est in Christi ordine, qui quàm est preferendus alteri ordini, tantò expedit ex postremis huius esse, ut sis ex primis Christi Domini.

### L. PUNCTUM.

QUOD singuli Evangelistæ referunt de hac ignominiosa Comparatione, sic in unum contextum digeri potest, cui considerando conformes affectus applicentur. Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum & magistratibus, & plebe, dixit ad illos; Obtulistis mihi hunc hominem quasi aver-

rentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis: sed neque Herodes, nam remisit vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei: emendatū ergo illum dimittā.

Per diem autem solemnem consueverat præses Matt. 27.

populo dimittere unum vinculum, quem voluit Ioan. 18.

sent, habebat autem tunc vinculum insignem, qui Marc. 15.

dicebatur Barrabas, qui erat latro, & qui in seditione fecerat homicidium. Congregatis ergo illis dixit Pilatus; Quem vultis dimittam vobis?

Barrabam, an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum.

Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt populis ut peterent Barrabam, Iesum verò perderent. Respondens autem præses ait illis, Què vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt,

Barrabam. Dicit illis Pilatus, quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes, crucifigatur; Ait illis præses, quid enim mali fecit: at illi magis clamabāt dicētes, crucifigatur. Pilatus autē volēs populo satisfacere, dimisit illis Barrab.

Hæc ad verbum Evangelistæ, ubi expendit, quod, quando sola fuisset comparatio cū tali viro, qui erat insignissimus eorum, qui tum, vincti erant, non poterat non esse igno-

minio-

minio-

minio-

minio-

minio-

minio-

minio-

minio-

minio-

minio-

minio-



miniosissima Christo; quanto magis autem cum illi postpositus est & indignior iudicatus, cui gratia praestaretur! o humana iudicia!

*Matt. 20.* o quam longe a divinis remota! Erunt primi novissimi, & novissimi primi. Verè hoc usurpari potest, quando agitur de praesentia inter homines: nam qui secundum aestimationem humanam & mundanam sunt primi, secundum divinam & aeternam sunt novissimi; ut è contra, qui sunt novissimi secundum mundam, sunt primi secundum Deum.

Quod ut melius intelligas, & accuratius propositam hic Veritatem expendas, propone tibi ob oculos mentis, omnes homines sic uno singulari ordine incedentes, ut qui eundo erunt primi, redeundo sint postremi. Sit verò ille hominum ordo ita confectus, ut eundo unusquisque tantum praecedat aliis quantum habet ambitionis & mundanae cupiditatis. Hujus ordinis primus & veluti Moderator

*Job 41.* esto ille rebellis Angelus, qui similis voluit esse Altissimo, & qui propterea, Rex super universos filios superbia dicitur. Postremus autem ille erit, qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratu est esse se aequalis Deo, sed semetipsum exinanivit, ut non tantum esset homo, sed &

*Is. 53.* inter omnes abjectus, despectus: & novissimus virorum. Hic est igitur ordo secundum mundum, prout hic intelligitur, in quo ne mireris poni Christum, cum supponamus omnes homines eo comprehendi.

Verum jam, pro reditu, concipiamus hunc ipsum ordinem ita conversum, ut qui postremi erant, fiant primi; sitque ordinis ductor Christus, ac proinde ordo Christi vocetur. Profectò hinc apertissime patebit Veritas, ut quò quis inferior est in ordine hominum, eò sit superior seu major in Christi ordine: Quia quod est primo expendendum, quò quis est inferior in ordine hominum, eò propius ad Christum accedat necesse est, quòd Christus sit hujus ordinis ultimus, ac proinde quò quis est posterior, eum contingat propius. Nonne est ita? quid clarius? Unde ergo caritas illa, qua volumus ex postremis esse, sum nihil sit amabilius quam prope Christum esse, etiamsi nihil aliud conciperemus quam istam propinquitatem? Responde & stabescere.

## II. PUNCTUM.

**S**ED quò quis propius accedit ad Christum, eò est major & superior in ipsius Christi ordine.

Nam cum Christus sit sui ordinis primus, quis non videt eò quemque aliis priorem seu superiorem esse, quòd prius illum sequitur? *Matt. 20.* Dic ut sedeat hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. Nempe intelligebat illa Mater, quae sic Christo Domino loquebatur, tum filios suos fore aliis superiores quòd ei propius adhererent. Hinc Christus Dominus: *Ioan. 12.* Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, illo scilicet honore, ut quòd mihi ministrat fidelius, mihi accedat propius; & qui mihi propius accedat, eò aliis gloriosius antecedat.

Oavidum gloriae pectus quòd anhelas & fatigatis? Cur non ad Christum curris, ubi est vera gloria? Non dolet Christus quòd quæras gloriam; sed quòd eam quæras, qua ab hominibus datur, non qua à solo Deo est.

## III. PUNCTUM.

**Q**UO quis igitur erit abjectior in hoc mundo, se suam abjectionem amot, & quo quis erit inferior in ordine hominum, se contemptum suum Christiane ferat, eò erit major & gloriosior in Christi ordine; cum sic ad Christum propius accedat, & in illo accessu sit tota gloria. Hoc egregie figuratum in antiquis illis Patribus, quorum natu minores prelati sunt suis majoribus fratribus. Sic Isaac major Ismaele factus est: sic Jacob major fratre suo Esau; sic Joseph major Rubeno: & Ephraim major Manasse: sic David & alii in Scriptura memorantur ex inferioribus superiores evasisse, ut qui erant novissimi, fuerint primi.

Hoc verò est, quòd apertissime Christus *Matt. 20.* Dominus in persona parvulorum docuit, quos ad se venire iussit, quos amplexus est, & miris modis sibi conjunctissimos declaravit, ac tandem edixit eum fore majorem in regno & in ordine suo, qui esset virtute & animo, quòd hi pueri erant aetate. Sic ipse Christus non aliter ascendisse dicitur quam quia descendit. *Quod ascendit, inquit Apostolus, quid Epist. 4. nisi quia & descendit, primus in inferioribus partes*



partes terra. Itemque alibi: Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. Sic beatissima Virgo prius se ancillam dixit quam esset mater, ut esset prima post Christum quae se postremam fecerat. Sic sanctus Ioannes Baptista, priusquam diceretur major inter homines, se in finem dixit, & indignum, qui vilius exhiberet officium Christo; Non sum dignus, inquit, solvere corrigiam calceamentorum eius.

Sic à primo ad ultimum, aut potius ab ultimo ad primum, agnosces ordinem gloriae & honoris, ut quò quis se sponte demiserit, aut se aliunde humiliatum voluerit, eo magis

exaltatus & sublimatus fuerit. *Gloriam praedit humilitas*, ait Sapiens. Tu ergo qui quæris gloriam, quomodo non amas humilitatem, aut si humilitatem amas, quomodo fugis humilitationem, in qua unâ probatur vera humilitas? Non sic Christus, non sic; qui se omnium infimo posthabitu vidit! *Beatus qui ubique te duces habet Domine Iesu, non illum de Asce. refugam spiritum, qui statim ascendere voluit, Dom. Et tota Divinitatis à dextera percussus est. Nos autem populus tuus & oves pascuae tuae, sequamur te, per te, ad te, quia tu es Via, Veritas, & Vita: Via in exemplo, Veritas in promisso, Vita in premio.* Sic aptè sanctus Bernardus.

## PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Caco nato. Ioan. 9.

VIDE in 4. parte, hebdomadam vicesimam, quæ tota de illo est per singulas Ferias.

# FERIA QVINTA. CHRISTVS FLAGELLATVS.

Tunc apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit. Ioan. 19.

### VERITAS PRACTICA.

Quæ duo Infidelem à Christo avocant, dolor & ignominia; Fidelem ad Christum vocant.

Christiano nihil beatius; & sicut ille inde à Christo recedit longius, sic idcirco fidelis accedit propius.

### I. PUNCTUM.

SENSVS EST, Quod sicut Infideli nihil videtur miserius quam ignominia simul & poena, qua in Christo praesertim apparuit, & à quo proinde ille avocatur: Sic fideli Christiano nihil est beatius quam illa duo, propter quæ idcirco magis Christo adheret.

RATIO est, quia propterea infideli nihil his miserius videtur quàm de rebus iudicet per rationes humanas, secundum quas ita iudicatur. Sed fidelis Christianus non ita de rebus iudicat, sed potius per rationes aeternas, secundum quas nihil est beatius quam ignominia & poena fortiter tolerata.

Ergo sicut Infideli nihil illis miserius, sic fideli

CVM, ut ait sanctus Lucas, Iudæi instarent contra Christum, vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur, & invalescerent voces eorum: Pilatus nondum quidem propterea contra conscientiam voluit innocentem damnare morte, sed contra omne jus damnavit virgis; Si enim est innocens, cur flagellabitur? Sic videlicet multi nollent eum lethaliter offendere, sed in levioribus quas putant, culpis, non verentur. Tunc ergo, inquit sanctus Ioannes, apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit. Id est, iussit flagellari, vel ipse primus flagellum impegit.

Cogita quam crudele simul & ignominiosum



If. 3.

niosum supplicium! denudatur Agnus ille mansuetissimus & castissimus coram turba procacissima; columnæ alligatur, parantur flagella cujuscunque modi; Lictoribus spondentur præmia, hominem ut dilanent; certatim in tenerrimum corpus contenditur; sanguis undique defluit, venæ dissecantur, arteriæ comprimuntur, nervi franguntur, caro rota dissolvitur, ossa ipsa conteruntur, iam non est species neque decor, ut prædixit Isaias, & vidimus eum & non erat aspectus, & desideravimus eum, virum doctum & scientem infirmitatem! & quasi absconditus vulcus eius, & despectus, unde nec reputavimus eum. Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Hæc putatur fuisse intentio pilati, ut in miserimum, qui effici posset, statum conliceretur, quo fatiari possent Judæi, & retardari ne ultra pergerent ad petendam ejus mortem. Sic ergo factum est ut jusse præles, quidquid humana & diabolica industria cogitari & fieri potuit ad dilacerandū corpus, cogita in id totū esse confiatum, & recogita quousque tandem crudelitatis devēti sit!

Quis verò tum boni Jesu animus, quæ cogitationes, quæ patientia! quæ magnanimitas, quæ de te intentiones! Nempe te in mentem habebat, tua peccata expiabat, tibi remedia & exemplum parabat, ut si quando incideret similis casus ignominia cum pœna conjuncta, disceres quo animo sufferenda. Habeto illi gratiam & pete lumen ad hanc eminentissimam torius Christianæ profectio-nis Veritatem, quæ tibi nunc proponitur clarius cognoscendam: Quæ duo scilicet, infidelē à Christo advocant, dolor & ignominia, quibus nihil miserius reputat infidelis: illa ipsa duo Fidelem ad Christum magis vocant, quibus nihil beatius & optabilius credit Christianus.

Quid est enim cur infidelis ita judicet? nempe quia judicat secundum faciem, secundum apparentiam externam, secundum sensum naturalem, secundum rationes humanas, secundum præsentem vitam, in qua consideratione non est dubium, quin talis status sit omnium miserimus, quia nihil est, quod magis adversetur carni & languini, quæ est regula judicij, quod infidelis & carnalis format de rebus hujus mundi, sicut ait sanctus Augustinus: In homine carnali tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi. Sed va qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes te-

nebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Nonne tu sic in multis judicas?

## II. PUNCTUM.

SED fidelis Christianus de rebus non ita iudicat, sed potius per rationes Evangelicas & æternas à Christo Domino institutas, secundum quas nihil gravius quàm ita pati.

Non contemplantur nobis quæ videntur, inquit Apostolus, postquam dixit, in omnibus tribulationem patimur sed non angustiamur: aporiamur, sed non desistimus: persecutionem patimur, sed non derelinquimur; humiliamur sed non confundimur: deicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris; Et post pauca; propter quod non desicimus, sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Id enim, quod in præsentem est momentaneum & leve tribulationis nostra supra modum in sublimitate, æternum gloria pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. Scimus enim quod si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.

Ex quibus verbis, tria habes ad rem nostrā valde accommodata; primum qualis esset Christianorum vita, de omnibus enim loquitur Christianis vi ventibus, secundum, qualis eorum animus in tam misero vivendi genere, quàm fortis, quàm constans & alacer. Tertium denique est, unde pateretur tantā constantiā, nempe ex consideratione æternorum, quibus promerendis sicut nihil propius & apertius quàm pœna & ignominia, sic istis doloribus constanter perferendis nihil potentius quàm æternorum consideratio. Quisquis enim ex hac æternorum consideratione res metitur, sic ratiocinatur & judicat; Media participant rationem finis, & eò magis participant quod certiora sunt media; Atqui finis noster est beatitudo æterna, media autē, quæ propius & certius attingunt illum finem, sunt ignominia & pœna; ergo ipsa sunt beata; ergo nihil beatius quam in ipsis constantem esse. Sic apertè Christus Dominus &

verbo



Vide in 1.  
parte, in  
festo san-  
cti An-  
tonii.

verbo & exemplo; Beati qui persecutionem patiuntur, Beati cum maledixerint vobis h. mines. Nulla est pagina Evangelii quæ non id tonet; nulla Christi Domini actio quæ non id confirmet. Et in his adhuc notas, adhuc dubitas, adhuc te miserum dicis, ubi Evangelium te beatum clamat! ubi est fides tua?

III. PUNCTUM.

Sicut ergo Infidelis, qui res ex sensu tantum humano metitur, nihil apparet miserius quam ignominia simul ac pœna, & proinde à Christo retrahitur: sic à contra, fidei Christiano qui de rebus aliter iudicat, ex regula scilicet æternorum, & ex Evangelio Christi, nihil credit illis beatius. Quia beatos faciunt seu disponunt proximè ad veram beatitudinem, quæ dispositione & statu nihil beatius in terris æstimari potest, ac proinde tanto magis ad Christum attrahitur qui totus in illis est. Unde enim pecunia, commoditates, honor, voluptas, & alia quæ naturali appetitu concupiscuntur, putantur esse bona, nisi quia beatos faciunt in hac vita? Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Cur nõ igitur meliori jure ignominia & pœna in bo-

nis censebuntur, cum tam verè beatos faciant quam verè una est beatitudo æterna, quæ inde certius comparatur? Si verè beata posset esse hæc vita, seu si beatitudo vera hic esset, vera essent bona quæ beatam hanc vitam facerent: sed cum nulla sit talis beatitudo, restat sola hic esse verè bona, quæ solum veram beatitudinem, id est æternam & cœlestem attingunt, donec ea perfruamur.

Si in hac vita tantum, inquit Apostolus, in 1. Cor. 15. Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus; sed in æterna spes nostra sita est, unde & Beatiores sumus. Gloriamur in Rom. 5. spe gloria filiorum Dei, ait idem, non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientiam autem probationem, probatio vero spem; Quasi diceret, ut explicat sanctus Bernardus, glo- Serm. 17. riamur in tribulatione sicut in ipsa gloria, in Ps. 90. quia in tribulatione spes gloria, imò & ipsa gloria continetur, sicut spes fructus in semine, sic & ipse fructus in semine est. Seminatur 2. Cor. 15. in ignobilitate, surget in gloria: Vel si seminatur in gloria; surget in ignobilitate. Mutaverunt Ps. 105. gloriam suam!

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Adolescente mortuo suscitato in Civitate Naim. Luc. 7.

VIDERI debet Dominica 15. post Pentecosten, quæ est prima quartæ partis, ubi hoc idem Evangelium proponitur, atque inde sex Veritates Practicæ colliguntur.

FERIA SEXTA.  
CHRISTVS PER LVDIBRIVM,  
Rex & Homo dictus.

Ecce homo.

Ecce Rex vester. Ioan. 19.

VERITAS PRACTICÆ.

Sic prudenter cavendum, ne vituperetur Ministerium tuum; ut si nimis id caves, non satis caveas.

RATIO EST, Quia non satis caves, si cum offensione caveas.  
Sed si nimis caves, non nisi cum offensione caves.

Ergo ne quid nimis, ne quid simul non satis sit: Ac proinde sic cavendum, ne vituperetur ministerium tuum, ut si nimis caves non satis caveas; & tu ipse magis illud vituperes.

I. PUNCTUM.

Flagellationem hæc proximè secuta sunt, quæ narrantur ab Evangelistis, Tunc mili- Matt. 27.



tes praesidis suscipientes Iesum in praetorium, congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum, clamidem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de spinis, posuerunt supra caput eius, & arundinem in dextera eius: & genuflexo ante eum, illud ebat ei dicentes. Ave Rex Iudaorum: & exponents in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Quae quidem peracta sunt à militibus in praetorio, sive in interiori quadam domus parte, unde ad se Pilatus Christum evocavit; Et exiens iterum foras dicit Iudaeis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam in eo invenio causam. Exiit ergo Iesus portans coronam spinis & purpureum vestimentum, & dicit eis: ECCE HOMO. Ac post multos ultro citroque sermones, qui à sancto Ioanne referuntur, iterum dicit eis, ECCE REX VESTER: Illi autem clamabant, Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices, non habemus Regem nisi Caesarem.

Ex quibus vides, quantam in tua potissimum regali Dignitate Christus Dominus sit passus, ignominiam; & quale nobis exemplum dederit in simili opprobrio, si quod unquam contingat, tolerando. Dicitur autem simile opprobrium, quod Conditionis nostrae statum, seu Vocationem aut Officiū, & Ministerium particulare spectat, qualis esset Superioris domus, Sacerdotis, Concionatoris, Confessarii, Religiosi, aut Laici, & cuiusvis Magistratus sive Dignitatis. Tum praecipue sensibilis est ignominia, & eo minus ferenda videtur, quod minus personam nostram tangit quam Statum sive Officiū, in quo scilicet honorifice conservando, ad gloriam Dei, & proximi aedificationem nobis laborandū esse putamus, Atque hinc fit ut, dum de illato probro dolemus & nimis satagimus, nobis palpemus, quasi simus tantum solliciti de honorificando ministerio, cum revera de honore aut alio commodo nostro magis angamur. Quamobrem attentè tibi haec consideranda

2. Cor. 6. Veritas; Quod sic prudenter cavendum est ne vituperetur ministerium tuum, ut si nimis id caveas, non satis caveas. Non enim satis caveas, si cum offensione caveas, ac propterea expressè dicitur ab Apostolo, Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, ad quod ira obligaris ex officio, ut non liceat tibi te infamare cum scandalo. Nā oportet esse Operarium inconfusibilem, & ita irrepre-

hensibilem, ne quod offenculum ponas Evangelio, vel Divina providentia, quae per te regit alios, nisi per te obsit, quo minus regantur. Obellet autem offensio, quā illis dares propter quam minus facile regerentur. Vā mundo à scandalis. Vā homini illi per quem scandalum venit. EXEMPLUM esto fidelium. In omnibus praebe te exemplum bonorum operum.

## III. PUNCTUM.

SED, si nimis caveas ne vituperetur ministerium tuum, non nisi cum offensione caveas.

Illud enim nimis significat excessum aliquem, quo impatientiam, superbiam, & emulationem, invidiam, aut alium similem inordinatum affectum indicas, quo non minus offenduntur subditi, vel quivis saeculares, quam alio depravato motu vel aperto vitio. Nam odibilis est coram Deo & hominibus superbia: praecipue vero in Sacerdotibus, in Praelatis, aut Superioribus cuiuscunque ordinis, quibus exprobratur, Cur elevari super populum Domini? multum erigimini filii Levi. GLORIAM eorum in ignominiam commutabo: TESTIMONIUM perhibeo illis, quod emulationem Dei habent, sed non secundum scientiā. Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitia Dei non sunt subiecti. Quae Apostoli verba in hunc sensum commodè trahi possunt, ut si ex nimio illo affectu honorificandi ministerii tui, non possis ullum probum aut injuriā pati, rectè dicaris ignorare Iustitiam Dei, id est, Divinam Providentiam, qua factum est, ut probum aliquo tibi inferretur, tum ad salutem & perfectionem tuam, si patienter illud feras: tum ad aliorum aedificationem, quae ex patientia tua & humilitate tua relucebit. Unde idem Apostolus: sive tribulamur pro vestra exhortatione & salute: Et postquam dixit, nemini dantes ullam offensionem, ne non vituperetur ministerium nostrum, statim adjungit, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus &c. per arma iustitiae, à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores & veraces: sicut qui ignoti & cogniti: Quo quidem in statu, sicut illi plurimum aedificabant & promovebant suos ad cultum Dei, sic planè tu tuis vitiis oppositis scandalizas & offendis, si quos habes subditos



Rom. 14. Subditos vel Spectatores tuæ superbiæ. Noli cibo tuo, noli superbia, noli impatientia tua, illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Noli propter escam destruere opus Dei.

III. PUNCTUM.

SIC prudenter ergo tibi cavendum est, ne vituperetur ministerium tuum, ut, si nimis id caveas, non satis caveas; & tu ipse illud magis vituperes & probrosum reddas per nimiam illam sollicitudinem, quæ meta est superbia seu ambitio, quàm si aliam dares offensionem. Hoc est, quod præsertim in Pharizæis carpebat Dominus, *Va vobis quia diligitis primas cathedras.* SED *va vobis miseris,* inquit S. Hieronymus, *ad quos Pharizæorum vitia transferunt.* Præclare verò sanctus Gregorius: *Nullum puto ac aliis maius præiudicium quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitate cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Nulla animarum lucra quarimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intentam mente captamus. Et quia eo ipso, quo ceteris prælati sumus, ad agenda qualibet maiorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum.*

Non sic Christus, non sic Apostoli, quorum certe non minus intererat quàm tuâ re-

fert, suam tueri autoritatem suamque decus. *Sed tempus est acquirendi & tempus perdendi. Eccl. 3.* Quod videtur aliquando pro Christo perdi, melius suo tempore per Christum invenitur. Si quid pro suo munere respondendum: *Cum modestia & timore,* inquit S. Petrus, *conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem: melius est enim benefacientes, si voluntas Dei velit, pati, quàm malefacientes, quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustus: de quo propterea dictum est: ECCE HOMO, Id est, exemplar omnium hominum, ECCE REX VESTER, cui scilicet subditi conformandi; Nunquam certe excellentius Rex & Homo Christus est dictus, quàm cum sic per ludibrium Rex & Homo dictus est, quia sic ipse subditus Deo Patri, nos sibi subieciat, nos illam docendo subiectionem, in qua rota est excellentia hominis qui alios regit.*

Cave autem ne opere dicas, quod Judæi ore clamant: *Tolle, tolle, non habemus Regem nisi Cæsarem.* Tu verò, nisi Mundum aut appetitum. *Nos habemus legem,* inquebant, & secundum legem nostram debet mori: Mentiebantur, sed mundus & appetitus habent legem, legem carnis, legem membrorum, secundum quam Christus debet in illo corde mori, quod ex illa lege vivit & movetur. *O Ecclesi. 4. mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!*

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Lazaro infirmo, mortuo, & suscitato. Ioan. 11.

DE his tribus Lazari statibus, proponuntur distinctæ Veritates, tribus primis Feriis hebdomadæ vicestimæ quintæ post Pentecosten, in quarta parte.

S A B B A T O.  
CHRISTVS A PILATO EX

*Humano respectu condemnatus ad mortem.*

Pilatus volens populo satisfacere, tradidit Iesum flagellis caesum ut crucifigeretur. Marc. 15.

VERITAS PRACTICA.  
Humanus respectus, inhumanus Christi despectus.

Haynesvæ Pars 2.

RATIO supponit duo per se satis nota: primum, quod respectus humanus sit, quando consideratione personarum, quibus place-

V

re



re cupimus aut displicere timemus, omittere vel committimus aliquid contra conscientiam.

Alterum est, quod hic respectus, cum inhumanus censeri debeat esse Christi respectus, cum ex communi omnium sensu tam iniqua est & iniusta personarum quibuscumque Ipse Christus confertur & posthabetur acceptio; ut nulla sit in humanis iniquior. Quibus praesuppositis ut aperte manifestis, superest declarandum, quod in humano respectu talis reperitur acceptio personarum. Sic autem declaratur:

*PERSONARVM acceptio eò est iniquior, quòd persona de quibus agitur magis inter se differunt, & quòd indignior illo est, quæ præfertur.*

*Sed in humanis non reperitur tanta differentia personarum seu talis indignitas eius personæ quæ præfertur, quàm in humano quovis respectu.*

*Ergo non est iniquior personarum acceptio quàm respectus humanus; ac proinde verè inhumanus est Christi respectus, & pluriquam cavèri solet, cavendus.*

### I. P U N C T U M.

**T**AMETSI Judæorum improbitati sive importunitati potest attribui, quòd Pilatus innocentem Dominum condemnarit; tamen oportuit in illa importunitate aliquid intervenisse, quo permotus fuerit ad hanc decernendam condemnationem, cui tam constanter restiterat. Nihil autem aliud apparet accidisse quàm timorem seu respectum humanum, quando scilicet illi dictum est à Judæis de Christo, quod Filium Dei se fecit & Regem; *Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris, omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Tunc enim auditis his sermonibus expressè refertur ab Evangelista, Pilatum magis timuisse, & statim sedisse pro tribunali, sententiam mortis laturum, ac tandem tradidisse Judæis Iesum, ut crucifigeretur. Timuit ergo ne si populo non satisfaceret, accusaretur apud Cæsarem & male audiret apud omnes quasi homo timidus, vel ignarus, vel parum studiosus imperij; sicque partim cupiditate complacendi Judæis, partim metu displicendi Romanis, miser ille contra suam conscientiam, adiudicavit fieri petitionem eorum, nec alià mortis sententia refertur, quam

*Luc. 23. quod Iesum tradidit voluntati eorum.*

Quæ certè fuit non modò iniquissima sed & crudelissima sententia, cum licet res relicta fuerit inimicis de Christo statuendi quod vellent. O dira cupiditas complacendi hominibus! O crudelis metus displicendi! Ô humani respectus de illa cupiditate metuque conflati, quam potentes estis & ad omne facinus perpetrandum parati! Ecce hoc unum potuit perimovere hominem ad condemnandum Iesum! Quod neque Pharizæi suis calumniis, neque Pontifices aut Sacerdotum Principes suis præteritis legibus, neque populus universus suis clamoribus extorquere potuit, unus obrinet respectus humanus! Timuit Pilatus Cæsarem, voluit populo satisfacere, & statim Iesum permittitur crucifigi.

Sed quid dicitur bone Iesu, quid de te sentietur cum auditum fuerit te sententia Iudicis condemnatum! hæc tamen innocentia tua licet multis calumniis appetita, tibi tamen servata est; nec quisquam nisi malevolus te accusavit aut condemnavit; Iam verò cum in Iudicio apud Præsidentem discussa fuerit tua causa, & te cognita damnatus fueris, quis te innocentem crederet? Nonne est magis quod timeas quam Pilatus? Audi quid Christus tibi respondeat, Audi quàm contemnat istos respectus humanos, & quàm velit eos à te contemni, hæc tibi modo proposita Veritate: *Quòd humanus respectus sit inhumanus Christi respectus.*

Nequè verò id tantum intelligas de humano illo respectu, quo Dominus à Pilato est iudicatus, sed de quovis alio, qui frequentissimus est inter homines, & qui tam crudelis & inhumanus est Christi respectus, quàm est inter humanas illa iniquissima & injustissima personarum acceptio, quibus in humano respectu comparatur & posthabetur Christus. Quomodo autem talis acceptio personarum reperitur in humano respectu, ut in humanis non sit iniquior, hæc aperta demonstrat ratio; Quia ex communi sensu & omnium rectè sentientium iudicio, eò est iniquior personarum acceptio, quo personæ, de quibus agitur sunt magis differentes, & quòd earum una quæ præfertur, longè est indignior altera. Sic enim magis sit contra Charitatem, contra iustitiam particularem, & contra commune bonum totius ordinis, civitatis, Regni, vel Ecclesiæ; unde in sacris scripturis mirum quantum hæc iniustitia proscibatur. *Nulla Dicitur.*

*aris.*



Levit. 19. erit distantia personarum, ita parvum audietis  
 Luc. 2. ut magnum. NON consideres personam pauperis,  
 De his san. nec honores vultum potentis. Si personas accipi-  
 tus Tho- tis, peccatum operamini, argui à lege quasi  
 mai 1. 2. transgressores. Nō ac in hoc sepe peccasti præ-  
 q. 63. ferens ditiores pauperibus, & te ab aliis præ-  
 1. Par. 19. fecti volens? Videte quid faciatis, non enim ho-  
 minis exercetis iudicium sed Domini, & quod-  
 cumque iudicaveritis, in vos redundabit.

II. PUNCTUM.

SED in humanis, non reperitur tanta persona-  
 rum distantia seu tanta earum indignitas,  
 quæ præferuntur, quàm in humano respectu.

Cum enī, ut iam præmissum est, respec-  
 tus humanus nihil sit aliud, quàm ex cupi-  
 ditate placendi vel metu displicendi homi-  
 nibus, aliquod Christianum opus omittere,  
 vel oppositum malum committere; profectò  
 hinc patet homines præferri Christo; hæ sunt  
 videlicet personæ de quibus agitur, Christus  
 ex una parte, qui præcipit bonum aut vetat  
 malum; ex alia verò mundus sive homines,  
 quibus placendi cupiditas vel metus displic-  
 endi avertunt ab illo bono tenendo, ut im-  
 pellunt ad malum. At nonne est tanta istarū  
 personarum distantia, quantā in humanis alia  
 reperiri non potest? nonne si mundus præfer-  
 tur Deo, præfertur persona tam indigna quā  
 longè indigna esse potest præ altera, quæ pos-  
 sithaberetur? quæcunque enim alia fiat compa-  
 ratio personarum, aut quæcunque earum sit  
 distantia, vel unius ad aliam proportio, tota  
 tamen illa differentia finita est, & suis termi-  
 nis circumscripta, cum fiat comparatio inter  
 homines, inter creaturas, quatum alia quan-  
 tumcunque aliam dignitate excedat, excessus  
 ille tamen est determinatus; at inter Deum &  
 hominem nulla prorsus est proportio sed in-  
 finita quædam distantia, quæ efficit ut, cum  
 per respectum humanum præferantur homi-  
 nes Christo & Deo, id præferatur alteri, quod  
 tam longè est indignum ut nihil longius, ni-  
 hil indignius cogitari possit. Cui assimilatis

me, aut adæquastis, & comparastis me, & fecistis  
 similem? ait Dominus apud Prophetam. Re-  
 sponde, & erubescet.

Quando esset mundus universus, quid ille  
 est ad Deum, nisi quod ait Sapiens? *tanquam* Sap. 11.  
*momentum statera sic est ante te orbis terrarum,* 11. 40.  
*& tanquam gutta voris antelucani, quæ descen-*  
*dit in terram; Sic & Propheta: Ecce gentes*  
*quasi stilla stula, & quasi momentum statera re-*  
*putata sunt. At certe non intervenit in illo re-*  
*spectu humano mundus universus, non An-*  
*geli, non Beati, non ipsi etiam homines san-*  
*ctiores, doctiores, sapientiores, non millio-*  
*nes hominum, non millia, non centum, vix*  
*decem, vix unus aut alter; mera est plerumq;*  
*Imaginatio, timor nocturnus; Et tamen hunc*  
*aut alterum præfers Christo! præfers Deo! O*  
*indignitatem! Quis ut Deus! Quid tibi vi-*  
*detur de Christo?*

III. PUNCTUM.

NVLLA est igitur in humanis iniquior perso-  
 narum acceptio, quam respectus humanus,  
 cum nulla sit personarum tanta distantia &  
 tanta indignitas, quantā inter Christum &  
 homines, qui per humanum respectum præ-  
 feruntur Christo; quæ in præferentia, cum  
 crudeliter & inhumanè despiciatur Christus,  
 quid est humanus respectus nisi inhumanus  
 Christi despectus? *Tu repulisti & despexisti*  
*Christum tuum. SERVIERVNT creatu-* Ps. 88.  
*ra potius quam creatori, DEVM qui te genuit,* Rom. 1.  
*dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui:* Deu. 32.  
*an te illa creatura nutrit, an illa tuus finis est?*  
*an tua compenlabit opera? an aderit in ne-*  
*cessitate? an in extremo iudicio iudicabit? Vbi*  
*sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? sur-*  
*gant, & opulentur vobis, & in necessitate vos*  
*protegant. Videte quod ego sum solus, & non sit*  
*alius Deus prater me.* Ibid.

His & similibus cum Dei gratia te exacue,  
 ut ne deinceps extimescas faciem potentis, & po-  
 nas scandalum in aequitate tua. NE accipias per-  
 sonam ut delinquas. HÆC locutus sum vobis ut  
 non scandalizemini. Ibid. 42.  
 Ioa. 16.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, Ego sum lux mundi, &c. Ioan. 8.

VERITAS PRACTICA.

Dum lucet, ambulandum: ne tenebræ fiant.

Ep. 1. parte, Die 5. Januarij.

V 2

Domini.